

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0920**

**0918**

**0924**

**0914**

**0929**

**0909**

**0969**

**0869**

**1019**

**0819**

**0419**

**Ende**

**Anfang**

**347**

ingressi sumus et locum cum jocunda admiratione vidimus. Dicunt etiam, quod Adam ejectus de paradiſo et in agrum praedictum repositus, cum per aliquot dies in agro laborasset, incepit sentire carnis suae stimulus et in Eram amore et desiderio exardere; similiter et mulier ipsa tentata virum habere desideravit. Cum autem in ipso agro convenissent et amplexibus et osculis se provocarent in tantum, ut jam in opus procedere deliberassent, nolebant solis aspectu id agere et verecundabantur aspectum coeli et siderum, quia non erat adhuc homo super terram, nisi ipsi, qui eos inspicere posset, idecirco egressi sunt simul de agro circumeuntes et quaerentes locum aptum, occultum et obscurum pro solutione debiti, non enim habebant adhuc habitaculum aut domum. Venerunt ergo ad illum specum, in quo Adam accepit Eram eamque primo carnaliter cognovit, et ambo hic virginitatem perdiderunt, quam, si in paradiſo mansissent, nec in conceptione nec in generatione prolis amisissent, nec in carnali illo actu deformitas immoderatae concupiscentiae fuisset, nam naturalia membra, ad hunc usum deputata, sicut inferiores vires, omnino subdita fuissent rationi, ut habetur **2. Summarum (S a) §. 20.** Et Augustinus de Civitate Dei XIV. dicit: Absit ut suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo caetera, sine ardoris illecebrosa stimulo, cum tranquillitate animae et corporis. Haec ille. Quod autem integritas virginitatis mansisset cum illa generatione, patet per eundem Augustinum XIV. de Civitate Dei, dicentem: In illo statu nulla corruptione integratatis infunderetur gremio maritus uxoris, ita enim poterat utero conjugis salva integritate foeminea genitale virile semen infundi et immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui crux emitte. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foeminea viscera relaxaret, sic ad concupiscendum non libidinis appetitus, sed voluntatis usus naturam utramque conjungeret. Haec ille.

In praedicto igitur specu concepit et peperit. Deputaverunt enim specum illum ad actus conceptionis et generationis, et nullibi nisi ibi his vacabant. Quod est contra illos, qui omnia loca foedant; in quorum persona dicit sapiens,

